Litterę Principis de Conde ad Caesaream Mag.tem

Invictissime Caesar

Si ferè semper sic fieri accepimus ut Regum afflicti casus multorum animos facilè alliciant ad misericordiam, et maximè eorum qui Reges sunt, aut in Regno uiuunt, quibus Regale nomen magnum, et sanctum est, certè nunc is est Regis, Regniq; Galliae status et conditio, ut non tantum humanissimo, et clementiss. Principi, et Imperatori potentissimo sed uel etiam uel inhumanis Tyrannis lacrymas excutere posset, adeo perturbata sunt omnia, amentia, et furore quorundam, qui dum religionis Zelum praetendunt, trium ordinum authoritatem, atq; decreta, ac omnes huius Regni leges subuerterunt, et discordijs, direptionibus, sanguine expleuerunt. Cum ergo sacrosancta maiestas inter omnia Christiani nominis Regna primum et summũ gradum a Deo obtineat, eiusq; ueluti proprium, et haereditarium sit orbis Christiani ruinas fulcire, et uulneribus mederi Legatos hos nostros integrae, et famae, et fidei uiros ad deponendam in sacrae M.tis manibus causam nostram, eiusq; auxilium implorandum misimus, quorum ex ore plenius rem omnem, eiusdemq; causae nrae aequitatem intelliget, quibus si aures accõmodet, et fidem eam, quam nobis ipsis si coram essemus, adhibeat, certo confidimus re cognita in nostram causam inclinaturam. Deus Opt. Max. S. Caes. M. his difficillimis temporibus ad res perditas restituendas uiuentem, et latè dominantem diutius incolumem tueatur Spiritu fortitudinis, prudentiae et constantiae confirmet. et clarissimis uictorijs semper magis, ac magis exornet Aureliae Cal. Octob. 1562

Vostre treshumble et tresobeissant

serviteur

Loys de bourbon

UGR Biblioteca Universitaria